



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

§. 40. Ordo Viardinorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](#)

Sæcul. XII. Talis erat hic Abbas, cum ad Ecclesiam
A.C. 1192. Tornacensem regendam vocatus est.

§. XL.

Ordo Viardinorum.

Mem. M. S. Sub idem Tempus Ordo Viardinorum
seu *Vallis Olerum* institutus. In Car-
tusia Luviniacensi, Dioecesis Lingonen-
sis, anno millesimo centesimo octogesi-
mo octavo quidam Frater conversus, no-
mine *Viard*, qui, ad vitæ rationem ma-
gis austera, ac ea erat, quam in suo
monasterio servabat, & a curis rerum
temporalium magis liberam, a Deo vo-
cari se sentiens, impetrata Præpositorum
suorum licentia, in silvam, duas leucas
Luviniaco distantem, se recepit, ubi ali-
quamdiu in horrido specu absconditus
singularem rigorem in se ipsum exercuit.
Postea vero a vicinæ regionis populo in-
ventus est, virique fama usque ad aures
Ducis Burgundiæ pervenit, qui saepe ad
eum invisit. Cumque aliquando Dux,
imminente hostium exercitu, ad prærium
accinctus esset, & non temendum pe-
riculum intueretur, Viardo pollicitus est,
si commissa pugna victor rediret, se in
eodem loco Monasterium conditum.
Vicit Dux, & promisso stetit, novumque
Monasterium vetus nomen a loco, qui
Vallis olerum vulgo dicebatur, traxit.
Antiqua in illa Ecclesia Inscriptio, Viar-
dum

dum secunda die mensis Novembris anno millesimo centesimo nonagesimo tertio, pedem primo intulisse, prodit.

Is Discipulis suis Constitutiones Statutis Cartusiensium simillimas servandas tradidit, exinde ab Honorio III. Papa confirmatas. Qua de re Jacobus Vitrianus, illius ævi Scriptor, hunc in modum loquitur, qui in eo tamen fallebatur, quod crediderit, Viardi Discipulos Cisterciensium Institutum fuisse amplexos. *In exiguis, inquit, degunt cellulis, ut tranquille lectio, orationi & contemplationi videntur.* Ut curas rerum externarum imputent, nec armenta habent, nec agros, & extra septa Monasterii terminos sibi posuerunt, quos transgredi non licet. Soli Priori fas est exire, nec soli, sed aliquot Fratribus comitantibus, ad invisendum Monasteria sibi subjecta, aut aliud negotium necessarium perficiendum. Intra fines Monasterii sunt borti, arbores pomiferæ, leguminæ, ad quæ colenda statutis boris exeunt, ut laboris sui fructus manducent. Sunt & alii redditus annui, quos sine magno negotio percipiunt, ne ulla res necessaria desit. Præterea ne gravi paupertate a rerum spiritualium studio avocentur, aut ad mendicandum compellantur, in quancunque domum non plures fratres, quam commode alere possint, suscipiunt.

c. 17.

U 3

§. XLI.